

tyris Dionysii concedimus ut, si necessitas eis fuerit, ex nostro vel successorum nostrorum episcopatu, sine precio crisma et oleum suscipiant. Et si quis eorum presbyterorum vel clericorum forte aut occisus (quod absit) aut vulneratus fuerit, aut ex eis omnibus alicujus injuriæ acclamatio surrexerit, quicquid ex hiis omnibus nos adtinere videtur, hoc totum abbatii qui in ipso sancto loco præfuerit, cæterisque fratribus, habendum et disponendum concedimus. Quod si aliquis calliditate aut cupiditate præventus fuerit, et ea quæ sunt superius comprehensa temerario spiritu violaverit, tribus annis pœnitentiam agat a communione fratrum sequestratus, et nihilominus hoc privilegium, Christo protegente, qui et adjuvet illud conservantibus, et dissipet illud destruere cupientibus, perpetuum maneat incorruptum. Quam definitionem constitutionis nostræ, ut nostris et futuris temporibus valitura sit, manus nostræ subscriptionibus roboravimus, et coepiscopis domnis et fratribus nostris rogando supplicamus, ut ipsam insuper firmare debeant. In Christi nomine Landericus, ac si peccator, episcopus urbis Parisiæ, hoc privilegium consensit et subscripsi. Munemundus episcopus consensit et subscripsi. Gonualdus episcopus

bum, instat ne in regno ejus, per occasionabiles circadas, et per indebitas consuetudinarias exactiones ante viginti annos impositas, ecclesiæ affligantur. Et, ne quis credat anterioribus temporibus

A consensit et subscripsi. Vulfoleus episcopus consensit et subscripsi. Armentarius episcopus consensit et subscripsi. Runicus episcopus consensit et subscripsi. Malchardus episcopus consensit et subscripsi. Eligius episcopus consensit et subscripsi. Grator episcopus consensit et subscripsi. Joannes episcopus consensit et subscripsi. Burgundofart episcopus consensit et subscripsi. Richoaldus episcopus consensit et subscripsi. Baldomerus episcopus consensit et subscripsi. Audoenus episcopus consensit et subscripsi. Taurinus episcopus consensit et subscripsi. Eustogius episcopus consensit et subscripsi. Laridandus episcopus consensit et subscripsi. Bertefredus episcopus consensit et subscripsi. Audobertus episcopus consensit et subscripsi. Clarus episcopus consensit et subscripsi. P. Lastardus episcopus cons. et subs. Litterius epis. cons. et subs. Palladius epis. cons. et subs. Ætherius epis. cons. et subs. Ingildus epis. cons. et subs. Audobertus epis. cons. et subs. Facto privilegio sub die Kalendarum Julii, in anno quinto decimo, regnante Clodoveo, gloriosissimo rege. Ego Austrolenus tutor, jubente domno Landrico, episcopo, hoc privilegium scripsi et subscripsi.

has exactiones fuisse introductas, addit tempore Pipini, Caroli et Ludovici eas in usu non fuisse. Ergo circa novum sæculum conflata hæc charta censeri potest, ut supra diximus, col. 299, not. a.

ANNO DOMINI DCLVI.

SANCTUS SIGEBERTUS,

REX FRANCORUM.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex Bolland., tom. I.)

Mediomatrici, Ptolemæo Mediomatrices, antiquus Gallie Belgicæ populus, Rhenum inter et Mosam fluvios, latam incoluerunt regionem, Mosella etiam interfluente irrigatam. Genti huic caput quondam fuit Divodurum, seu Diviodurum; quo deinde nomine oblitto, civitas Mediomatricorum in notitia antiqua provinciarum et civitatum Gallie appellata est; Anniano Marcel, l. xv, etiam solum Mediomatrici; quo scilicet modo Tungri, Treviri, Ambiani, Rheni, Parisii, Lingones, Senones, aliaque voces, olim populum, jam urbes designant. Quod autem Mediomatricorum nomen excurreret, compendiosum ex primis syllabis factum, et Metis, quasi Medis dici coepit, quod Mettis etiam et Metæ aliis scribitur. Exstat ea etiamnum ampla, opulenta validequesitu ac opere munita, quam Salia fluvius præterlapsus, Mosellæ ad ejus moenia miscetur. Sedem isthic regiam, regno Clodovei diviso, constituit Theodericus, servansque filius Theodebertus et nepos Theodebaldus, cui temporibus Clotarius I, frater Theoderici, abavus sancti Sigeberti integram obtinuit Francorum monarchiam.

In partitione regni Clotarii I volunt Baron., an. 565, not. 6, et Petav., l. vii Rationarii tempor., c. 6, Sigebertum I sedem regni Rhenis habuisse, forte vitiosa Greg. Turon. editioe decepti. Porro apud eum, tom. I Scriptor. Hist. Francor., a Chesnoo ex quinque antiquis Codic. mss. editum, ita legitur, l. iv, c. 2: « Sigeberto quoque sors dedit regnum Theoderici, sedemque habere Mettensem; » quæ totidem verbis Fredeg., in Hist. Epitomata, c. 55, descripsit, et clare explicat Aimoin, l. iii, c. 4: « Sigeberto, in-

quit, Mediomatricum, quæ et Mettis, cessit, Theoderici patri quondam subjecta dominatui. » Childebertum, huic Sigeberto patri suo substitutum, regiam sedem Argenterati habuisse opinantur Coccius, in Dagoberto, c. 5, et Miræus, de Stem. princip. Belgii, cap. 1, aut s'ope resedissee tradit Wassemburgius, l. ii Antiq. Gallie Belgicæ, in Hermentredo duodecimo episcopo Virtunensi. Verum, quia Theodebertus, mortuo Childeberto patre, sortitus est Auster, sedem habens Mettensem, apud Fredegar., cap. 16 Chron., et quidem (uti addit Aimoin., lib. iii, cap. 84) ubi priores reges eam constituerant, arbitramur æque Childebertum atque reliquos reges Mettis habitasse. Potuit tamen Argenterati, urbe sibi subjecta, subinde substituisse.

Interempto Theodeberto, frater ejus, Theodericus II, mox post susceptum regnum, Mettis fluxu ventris extinctus, hæredem reliquit Sigebertum II, quem necdum regem Clotarius II, filius Chilperici, avus sancti Sigeberti, bello captum, occidit, ita integram denuo Francorum monarchiam adeptus; qui postea filium suum Dagobertum in regni consortium ascitum Austrasiis præfecit. Hic ab obitu parentis et fratris Chariberti, solus rexit, mox sanctum Sigebertum, qui hujus nominis tertius habetur, regem Austrasiorum creavit. Hunc Christoph. Browerus, l. vii Annal. Trevirens., tradit Aquisgranum degisse, ob diploma isthic sancto Modoaldo archiep. Trevirensi concessum, quod infra ostendemus plurimum interpolatum. Ægil. Gelen., in Fastis Coloniaens., tradit dici eum Andernaci in districtu Coloniaens.

Lotharingici territorii regiam habuisse. Idem Gelen., lib. 1 de Magnitudine Colonie Agripp., syntag. 3, contendit Coloniam Agrippinam caput et metropolim regni Austrasie fuisse sub omnibus regibus a Theoderico I ad sanctum Sigebertum : et : « Ne dubites, addit, de metropoleos in Austrasia dignitate et prerogativa ; advertito Dagoberti filium Sigebertum regni-que administrationem in sancti Cuniberti Ubiorum praesulis arbitratu et manu fuisse. » Haec ille, quae ita praescribit Fredeg., in Chron. 53, ut Cunibertum Colonie urbis pontificem, et Adalgiselum ducem palatii ad regnum gubernandum institutos concedat ; regem tamen Sigebertum asserat sedem Metis civitate habuisse, quo Colonie saepius sanctus Cunibertus itarit, diutiusque moratus fuerit. Exemplar etiam testamenti sui Dagoberti rex, ab utroque filio sancto Sigeberto et Clodoveo subscriptum, Metis constituendum dirigi praecipit, ad urbem, scilicet, regiam, non Coloniam, non Andernacum, non Aquigrani, aut ad alium illustrem Austrasiorum locum. De hoc testamento legendus Aimoin., lib. iv, cap. 30. Eadem sancti Sigeberti regia in urbe Metensi statuitur in Vita sancti Hadelini a Notgero conscripta, 3 Febr., et infra in propriis ejus Actis, in quibus etiam dicitur in sancti Martini monasterio ad Mosellam ab eo exstructo sepultus.

Obitus diem assignant eadem Acta Kalend. Februarias, ad quas nomen ejus ascriptum Auctario Usuardi a Carthus. Colon., et Molano. Illi : « Methis, aiunt, Sigeberti confessoris. » Hic vero : « Metis civitate, Sigeberti regis et confessoris, qui inter alias virtutes viginti monasteria exstruxit. » Idem Molan. pluribus de eodem agit in Natalibus sanctor. Belgii, sub hoc titulo : *De sancto Sigeberto confessore, ege Austrasie* ; tum : « Metis civitate, depositio sancti Sigeberti regis, confessoris Christi, etc. » Prolata dein Vitae epitome continenter sanctum appellat. Petrus Galesin. in suo Martyrol. : « Metis, inquit, sancti Sigeberti regis et confessoris, qui tum aliis multis admirandae pietatis officiis, tum hoc illustris existit, quod monasteria viginti exaedificavit. » Celebrant

A eundem Miræus in Fastis Belgicis, Gelenius in Fastis Coloniensib., Canis. in Martyrol. Germanico, Ghinius in Natal. sanctor. canonicor., Ferrar. in Catalogo generali sanctor., et varii in Auctario ad Martyrol. Rom. Belgico et Gallico sermone. Saussaius, in Martyrol. Gallic. eum postridie, seu iv Nonas Februariar., refert hoc elogio : « Metis sancti Sigeberti regis Austrasie et confessoris, qui Dei cultus studiosus amplificator viginti monasteria construxit, inque ecclesias et pauperes profusas elemosynas erogavit : ob quae merita, praecelsaque alia pietatis opera, pro terreno re. no caeleste consecutus est. Cuius corpus in ecclesia sancti Martini ab ipso fundata conditum, miraculis mox a tumultatione refulsit, postque annos inde quingentos repertum est, non sine omnium spectantium admiratione, incorruptum. » Haec Saussaius.

De exstructis ab eo monasteriis infra agemus. Post dictum Metenses sancti Martini eminent apud Ardennates Stabulense et Malmundariense, in quorum templis altaria visuntur sancto Sigeberto dicata, quem regio more coronatum, et paludamento liliis intexto decorum, duas manibus gestantem ecclesias, repraesentant imagines cum coloribus tum scalpro delineatae : colitur autem ibidem hisce Kal. Febr., sub praecipuo ritu et campanarum maximarum pulsu. Festum translationis corporis, sub an. Chr. 1063 factae, recolitur pridie Kal. Julii apud Molan., in Natal. sanctor. Belgii, Carthus. Colon., in Auctario Usuardi, et Canis., in Martyr. Germanico : « Methis translatio sancti Sigeberti confessoris, de quo 1 Febr. actum. » Cultum antiquum confirmant tum miraculorum ad ejus sepulcrum olim perpetratorum historia, tum, ut in ea refertur, nomen ejus sacris litanis insertum. Baron., ad an. 658, n. 3, ad imitandum proponit « Sigebertum, laudatissimum principem, æqui amantissimum, et religionis observantissimum ; » qui « pace bene usus, cum ab externis et civilibus bellis quiesceret, sese totum monasteriis C origendis aliisque pietatis operibus mancipavit. »

S. SIGEBERTI REGIS

VITA,

AUCTORE SIGEBERTO MONACHO GEMBLACENSI.

(Ex Bolland., tom. I.)

CAPUT PRIMUM.

Sancti Sigeberti majores, Nativitas.

1. Anno dominicæ Incarnationis quingentesimo octogesimo (a) sexto (b) Lotharius Secundus, Chilperici regis et Fredegundis filius, in Francia admodum (c) puer regnare cepit. Qui postquam ad intelligibilem ætatem venit, honestati morum studere cepit. Unde a Deo exaltatus, eo usque processit, ut monarchiam regni Francorum mereretur accipere solus. Hic anno regni sui tricesimo nono Dagobertum filium suum in consortium regni ascivit ; et ne regiae potestatis licentia, et juvenilis ætatis intempe-

rantia exorbitaret a via rectitudinis, ei viros potentia et sanctitate claros substituit, sanctum, scilicet, (d) Arnulphum, ex majore domus metensem episcopum, et (e) Pipinum majorem domus, tunc temporis cunctis aulicis præminentem potentia et prudentia. Istis Dagobertus utens tutoribus regnum Francorum propagavit latius, et maxime ad debellandos Saxones laboravit intentius, qui fines regni sui crebris fatigabant excursibus. Quos auxilio patris sui Lotharii ita devicit, ut et regem eorum Bertholdum perimeret, et omnes Saxones, mensuram gladii sui excedentes, gladio trucidaret (f).

2. Tam bonis Dagobertus rex usus principiis, post

gobertus, sed ex filia ejus Blithilde.

(e) Colitur 21 Febr. ; pater sanctæ Begghæ nuptæ Ansigiso filio sancti Arnulphi.

(f) Ea pluribus describit monachus sancti Dionysii in Gestis Dagoberti, cap. 14.

(a) Imo quarto, non septimo, ut Baronius cum Chronico Sigeberti.

(b) Antiquioribus Clotarius Francorum monarcha factus anno 613.

(c) Ætatis mense quarto (Greg. Turon., l. vii, c. 7).

(d) Colitur 18 Jul. ; pronepos Clotarii I sicut Da-